

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In festo die Johannis Baptistae

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

per fuit, ut quò caput reclinaret, non haberet? Matth. 8. v. 20. Sed quòd spiritualia bona concernit, verè dicere possumus, quòd abundantiam habeamus in omnibus, quòd ad procurandam æternam salutem sufficit. In Christo enim habemus redemptionem per ipsius sanguinem, & remissionem peccatorum, Col. 1. v. 14. Ubi autem remissio peccatorum, ibi & vita & salus, Psal. 32. v. 1. 2.

Filii hujus seculi *terrena sapientes*, his in bonis sufficientiam non habent, sed quando promtuarìa eorum plena sunt, educcentia de frumento in frumentum, hæc co-

rum summa voluptas est, Psal. 144. v. 12. Verum, quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat: Qui Christum diligit, omnia habet, quia omnia habentem habet, & aliquando cum eo & per eum, & in eo salutem æternam hæreditabit, ubi abundantia gaudiorum est cum vultu ejus, & delectationes in dextra ejus in æternum, Psal. 16. v. ult.

Id quòd nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus pater, per filium suum Jesum Christum, redemptorem nostrum, in Spiritu sancto, Amen!

## In festo die Iohannis Baptistæ.

*Evangelium Luc. 1. v. 57. --- ad finem.*

### EXORDIUM.

**C**Um Saul populo Israëlítico præsentaretur, ut Rex ejus esset, deprehendebatur ille *altior universo populo ab humero & sursum*. Hoc Samuel populo ad animum revocabat, tanquam evidens signum, unde colligerent, quòd à Deo electus esset. Certè, ait: *videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi, in omni populo*. Et clamavit omnis populus, & ait: *Vivat Rex!* 1. Sam. 10. v. 23. 24.

Hoc exemplum *statura corporis* est, quâ Deus hunc præ illo donare solet. Olim monstra quædam fuerunt filiorum Enac, de genere giganteo, quibus alii comparati, quasi locustæ visi sunt, Num. 13. v. ult. Sicut in specie de Og Rege Basan Moses scribit, quòd lectus ferreus ei fuerit, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitu-

dis, ad mensuram cubiti vicis manus, Deut. 3. v. 12. idèò vocantur *Raphaim* ab exanimatione, quia homines in ipsos incidentes præ metu quasi exanimati sunt, 2. Sam. 5. v. 18. Tales quoque inter Philistæos fuerunt tempore Davidis, ut monstrum illud hominis Goliath probat, 1. Sam. 17. vers. 5. item duo filii Arapha, quorum mentio fit, 2. Sam. 21. v. 16. 19. Verum non in fortitudine equi voluptatem habet Deus, nec in tibiis viri beneplacitum est ei: Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus, Psalm. 147. vers. 11. oculi enim ejus respiciunt fidem, Jerem. 5. vers. 3.

*Johannes Baptista majori laude celebratur, de quo Christus testatur, quòd inter natos mulie-*

mulierum major non surrexerit, Matth. 11, 11. Idèd meritò celebramus hunc diem, non quidem more Papistico, qui superstitiosè & alias reliquias ejus venerantur: hoc enim expresse Dei verbo repugnat, & pœnam à Deo definitam habet, Psal. 16. v. 4.

Sed primùm hoc sine, ut Deo gratias agamus, qui nobis tantum heroëm excitavit, qui agnum Dei digito ostendit, Joh. 1. v. 29. ut jam sciamus, cui credamus, & certi simus, quod depositum nostrum servaturus sit in illum diem, 2. Tim. 1. v. 12. Deinde ut vitam & doctrinam ejus nobis velut ideam proponamus, & vestigiis ejus insistamus, sicut nobis prœvit ad vitam æternam. Nam, ut Augustinus ait, non idèd proponuntur nobis exempla justorum, ut ab eis justificemur: sed ut imitantes eos, ab eorum justificatore, nos quoque justificari sciamus.

Ad prælectum igitur Evangelium sine ulteriori ambage nos conferemus meditaturi ex eodem:

I. Ἀγγελία τοῦ κυρίου, sive notitiam nostri.

II. Χριστολογία sive notitiam Christi:

J. J.

### Exegesis.

Omnes Prophetae & lex usque ad Johannem prophetarunt, ait Servator, Matth. 11. v. 13. eoque indicat, quod hodiernum festum nobis quasi fores aperiat, per quas ingredimur in novum testamentum, quod de Christo prædicat, cui Iohannes Baptista viam paravit. Et quamvis vulpes Herodes gallo huic cantanti maturius caput decerpserit: attamen tuba ejus sonare pergit in ecclesiã Dei, nec ullus unquam Ty-

rannus, æstu & violentiã suã, beatum illum ignem Iohanniticum, quem per gravissimas suas de Christi personã & officio conciones succendit, suppressere & extinguere poterit, hinc appellatur lucerna ardens & lucens, Joh. 5. v. 35.

Ad notitiam nostri viam nobis aperiet:

I. Benedictio conjugalis, quã pia Elisabetha in senectute à Deo affecta est. Licet enim illa justa & pia esset, ut supra Evangelista de eã testatur, attamen in sterilitate vixit, usque ad tempus à Deo destinatum. Hinc Evangelista: *Elizabetha impletum est tempus parienti, quo non tantum hora respicitur, quã juxta communem naturã cursum illa partum edidit, tempus enim nascendi est, Eccles. 3. v. 2. sed & arcanum Dei decretum innuitur, vi cujus Iohanni Baptista & præcuratori filii sui certum terminum definiverat, quando eum missurus erat, Matth. 3. v. 1. & adhuc hodiè quemlibet in utero matris separat & destinat ad id opus, ad quod eum adhibiturus est. Ideoque singuli nos cum Paulo dicere tenemur: *Gratiã Dei sum, quod sum, 1. Cor. 15. v. 10.* Non enim potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo, Joh. 3. v. 27.*

Hic probes velim te, utrum & ipse conjugium tuum, ad exemplum Zacharia & Elisabetha cum Deo inchoaveris, & in verã pietate continueris?

Hoc ita à quolibet fieri debet, si benedictione Dei ille frui velit. Verè enim Regius Psaltes: Beati omnes, qui timent Dominum, Psal. 128. v. 1. & seqq.

Multi inveniuntur, qui ob libidinem matrimonium incunt, Tob. 6. v. 17. & illicitè consuecunt, ut Sichem & Dina, Gen. 34.

v. 2.

v.2. hos deinde minus fortunatos esse, non adeò mirandum est. Et quicquid parentes ejusmodi delirarunt, plerumq; soboles plectuntur, nec unquam ad honoris gradus aspirare possunt. Vide Sap. 3. v. 16. & cap. 4. v. 5. 6.

Quamvis enim spuris aque ac aliis, *janua celi pateat*, si Christo per baptismum inferantur, & stipulationem bonæ conscientia, quam cum Deo fecerunt, constanter observent: attamen in V. T. non licuit illis in ecclesiam Domini ingredi, etiam decimâ generatione, Deut. 32. v. 2.

Equidem si Parentes ejusmodi veram resipiscentiam agant, & liberos suos in timore Domini educant, Eph. 6. v. 4, liberi quoque disciplinam Domini suscipiant, dedecus hoc virtute suâ facile eluere possunt, ut exemplum Jephthæ testatur, quem Deus populo Israëlítico judicem præfecit, & per eum præclaras res gessit, Jud. 11. v. 29. unde etiam in solatium spuriorum in catalogo sanctorum recensetur, Hebr. 11. v. 32. interim tamen coram mundo despecti plerumque testes sunt nequitia adversus parentes, Sap. 4. v. 6.

Juvenes proinde probè sibi caveant, ne libidini indulgeant, sed conjugium decenter inchoent, & sic bonâ conscientia gaudere possunt, nec à liberis suis in ruborem conjiciantur: Liberi verò vicissim de parentum honestate gloriari possunt, voluptatemque capere ex commendatione virtutis parentum. Sicut procul dubio Tobiasiam juniorem affecit, quando Raguel cum lacrymis eum osculatus dixit: *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni & optimi viri filius es*, Tob. 7. v. 7. Fama enim bona est ingens gloria, Sir. 41. v. 15. 16.

Quandocumque igitur Diabolus tibi oc-

casione ad scortationem vel adulterium subministrat, semper memento infamiam, quæ sequitur, si fortè Dei & verbi ejus obliviscaris, & alia melior mens tibi erit. Noli tibi persuadere, occultum id fore, Diabolus enim, qui te seduxit, ipse occasionem subornat, ut manifestum fiat.

Scribatur portis: meretrix est janua mortis, Prov. 7. v. 27.

II. *Nomenclatura singularis*: Die enim octavo, qui à Deo ipso definitus erat, vicini & cognati venerunt, ut circumcissioni interessent: & quia moris erat, ut simul infantibus nomina imponerentur, eum nomine patris *Zacharia* vocari volebant. Verùm Elisabetha mater, prohibuit id dicens: *Nequaquam, sed vocabitur Iohannes*. Id absonum illis videbatur, quia nemo in cognatione erat, qui vocabatur hoc nomine. Ideoque rem ad patrem deferebant, & quia ille adhuc mutus erat, innuebant illi, h. e. peculiari indicio ipsi significabant, ut litteram hanc dirimeret, ut constaret, quomodo puerulum appellari vellet. Et postulans pugillarem, nomen pueri in eo perscripturum est, sermonem recuperat, ut scribendo dicat: *Iohannes est nomen ejus*; q. d. non opus est, ut de nomine multum solliciti sitis, Deus ipse pridem ei nomen suum dedit, in quo uxor mea non aberravit, id & mihi placet, vocetur Iohannes. Quia enim puer hic non severus aliquis Moses, sed graciosus Evangelii præco esse, adeoq; Messiam digito monstrare debebat, tanquã agnum Dei tollentem peccata mundi, Joh. 1. v. 29. Deus quoq; nomen ejus eò direxit, & Zachariæ patri per angelum Gabriel mandavit, ut eum Johannem, h. e. graciosum appellaret: quod ipsum quoq; officio ejus respondet, paraturus enim erat viam Messia, ad dan dam

scien-

scientiam salutis plebi ejus, in remissione peccatorum eorum, ut Zacharias postea in hymno suo indicat.

*Hic te ipsum examina, mi Christiane! utrum tu quoque eo respexeris, ut liberi tui in ordinem Iohanniticum suscepti, & statim post natiuitatem carnalem, per baptismum, quem nos in N. T. loco circumcisionis habemus, Christo inserti sint?*

In Papatu inter alios plurimos ordines, & unus in honorem Iohannis Baptistæ institutus est, ejus cultores *Iohannita* vocantur, quorum munus est, ut aduersus Turcam bello decertent. Verum illi à Iohannis Baptistæ institutis longè recesserunt, ideo de hoc Ordine sermo nobis non est. Verum *Baptismus* verus est *Ordo Iohanniticus*, ubi ex filiis iræ, quales naturâ sumus, Eph. 2, 3. per spiritualem regenerationem quasi novæ creaturæ evadimus, 2. Cor. 5, 7. videlicet filii & hæredes Dei, & cohæredes Christi, Rom. 8, v. 17.

Lætamini proinde Dillecti! quando infantem vestros baptismi initiatis: ibi enim novum nomen accipiunt, & licet non Iohannis, sed alio nomine insigniantur, attamen gratiæ nihil decedit, de qua Johannes prædicavit, quod de plenitudine gratiæ Christi accepturi simus gratiam pro gratia, Joh. 1, 16. ibi enim aqua munda super eos spargitur, ut mundentur ab omnibus inquinamentis suis, Ezech. 36, v. 25. abluuntur à peccatis suis, 1. Cor. 11. intellige, per sanguinem Christi, qui solus hac virtute pollet, 1. Joh. 1, v. 7. induunt Christum per fidem, Gal. 3, v. 27. faciunt cum Deo cœdus, nempe stipulationem bonæ conscientiæ, 1. Pet. 3, 21. quinimò nominibus suis in cœlo scribuntur, ubi nullus tyrannorum aut diabolus, illos eradere poterit, Luc. 10, 20.

Parentes igitur operam dare debent, ut filii non *nomen nudum* sed *omen habeant*, quod fiet per *sedulam informationem*, quando eos cum Iohanne in Adunim deferant, h. e. ad scholam mittant, ut ibi instituantur in disciplina & timore Domini, Eph. 6, 2. & domi quoque legem Dei illis acuant, Deut. 6, v. 7. exemplo Abrahæ, Gen. 18, v. 19. Verè enim Comicus: *Ut quisque suum vult esse filium, ita est.* Si ethnicus hoc cognovit, quanto magis Christianus operam navare debet, ne quicquam quod ad bonam institutionem spectat, intermittatur, ut in illis laudari & gloriari possimus, Eccl. 30, v. 2. & animo imperterrito coram tribunali Christi compareamus, dicentes: Ecce, ego & pueri, quos dedit mihi Dominus, Esa. 8, 16.

Quando verò parens non Spiritu sancto, ut hic Zacharias, sed vino & cerevisiâ repletus est, & loco precatonis, imprecationes eructat, quando domum redit, hic non abs re quæreres: Quis, putas, puer iste erit? quia enim nihil boni vident, nec audiverunt, quid quæso boni discant? Væ ejusmodi profligatis parentibus! sanguinem deperditum Deus de manu eorum requiret, Ezech. 3, 18. Hinc Servator: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis &c. Matth. 18, 6.

III. *Devotio exemplaris*, quam Zacharias nobis exemplo suo reliquit. Hactenus enim mutus fuerat, jam v. postquam loquelam recuperarat, & videt omnia impleta esse, quæ ei angelus annuntiaverat, plenus gaudio in egregium hymnū prorumpit, in quo mirabilia Dei ex ordine enarrat & prædicat. *Benedictus Dominus Deus Israel* &c. Nos ad ejus exemplum doceamus & commoneamus nosmetipsos in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus nostris Domino, Col. 3, 16. Pl. 50, 23.

Hic

Hic scrutaris velim te, utrum & ipse ad gloriam Dei hymnos spirituales in æde Dei cantaveris, & Deo pro beneficiis suis gratias debitas egeris?

Hic sanè plurimum delinquitur. Nonnullos pudet laudis Dei, Sir. 51. v. 38. Alii sine devotione, ex perversâ duntaxat consuetudine concinunt. Quod sanè meritò improbandum est. Hinc ipse Deus de talibus conqueritur: Aufer à me boatum carminum tuorum, Amos 5. v. 23.

Rectius nos instruit, Psalter Regius dicens: Benedicam Dominum in omni tempore, Psal. 34. v. 2. 3.

Prisci hæc in re tanto zelo arserunt, ut se invicem provocarint, quis melius Deo suo canere possit, ut Tertullianus refert.

B. Lutherus hæc in parte aliis palmam præripuit. Aliquando ipsi referebatur, quod à Pontifice excommunicatus & ab Imperatore proscribitus esset: abiit ergò in hortum, & cecinit Psalmos & hymnos nonnullos. Hoc Prior audiens interrogavit eum, quid ita lætus esset, an nesciret, quid Papa & Cæsar adversus se decrevisset? Ipse respondit, non præterit me: sed nihil ad me atinet, verùm ad Christum; si ille de dextrâ Patris sui se deturbatum patietur, per melicet, ego infirmior sum, quàm ut causam ejus contra principem mundi hujus defendam.

Aliquando à Dæmone Coburgi ita conterritus, ut fermè exanimatus esset, contribules suos excitavit his verbis: *Venite, canamus in contemptum Diaboli.* Hinc non parum confirmati sunt.

Nos hoc ipsum imitari & spirituales hymnos cantare debemus, quando aut animo perturbato sumus, ne Diabolo locum relinquamus: est enim superbus spiritus, qui

nihil minus ferre potest quàm contemptum: ideoque recedere tenebatur à Saule, quando David citharâ ludebat, 1. Sam. 16. v. ult. aut quando Deus nos benedicit, in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, Eph. 1. v. 3. tum iterum æquitas rei flagitat, ut ei gratias pro his beneficiis cantemus, hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu in nobis, 1. Thess. 5. v. 18. Verùm ex animo id fiat oportet, ut cum Davide dicamus: Paratum cor meum Deus, Psal. 57. v. 8. & cum B. Mariâ: Magnificat anima mea Dominum, Luc. 1. v. 47. Aliàs locum habet illud Prophetæ: Frustrâ colunt me, Esa. 29. v. 13. Cor enim intuetur Deus, 1. Sam. 16. v. 7.

Hoc ipso venimus in societatem sanctorum Angelorum, quorum continuum opus est, ut Deum celebrent. Hoc fecerunt in ipso creationis primordio, ubi Deum terram fundavit, Job. 38. v. 7. fecerunt idem in nativitate Christi, Luc. 2. v. 14. quin adhuc hodie illud faciunt, quando coram throno Dei clarâ voce ingeminant: Sanctus, sanctus, sanctus est Dominus Deus Sabaoth, Esa. 6. v. 3.

Quid verò pius Christianus melius & utilius efficere potest, quàm ut cum Angelis in uno opere occupatus, linguâ suâ Dei laudes personet? Hoc in vitâ aternâ omnium electorum præcipuum opus erit; qui habitant in domo tuâ Domine: in secula seculorum laudabunt te, Psal. 84. v. 5.

Interea nostri officii erit, ut hæc in tempore gratiæ, ubi plerumque ex profundis modulamur, Psal. 130. v. 1. confessionem Dei inchoemus: & sic in regno gloriæ in gradu excellentiori idem contaminabimus, cum beatorum cœtu personantes: Alleluja: Salus & laus, & gloria, & virtus, Domino Deo nostro, Apoc. 19. v. 1.

## De Secundo.

**D**iscatiemus nunc alteram partem notitiam Domini nostri Iesu Christi contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

1. *Tanquam sterilium fecundator.* Elisabetha per omnem vitam suam prolem non pepererat: Verum in senectute Deus benedictione sua eam ornavit, hinc gaudio perfusa, pro singulari misericordia Dei id agnoscit. In V. T. enim sterilitas quasi opprobrium reputatum fuit, unde Rachel moræm quoque sterilitati prætulit, tandem verò benedictionis Dei compos lætabunda dixit: Abstulit Deus opprobrium meum, Gen. 20. v. 23.

Et si rem penitius inspiciamus, non parva afflictio est, sine benedictione conjugali vivere. Per liberos enim regnum Dei ampliatur, & nomen ejus celebratur. Hinc Servator: Sinite pueros ad me venire, tantum enim est regnum cælorum, Marc. 10. v. 14. Confer Tob. 8. v. 8. 9.

2. *Per sobolis procreationem respublica in omnibus hierarchiis insigniter ornatur.* Quando enim filii adolascunt, & Deo in ecclesia & curia utiliter servire possunt, magnam hinc parentes voluptatem capiunt; Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen, Sir. 41. v. 19.

3. *Per filios genus propagatur.* Quando enim pater, qui pluribus bonæ notæ liberis instructus est, moritur, quasi non mortuus esset, censendus est, similem enim sibi reliquit post se, Sir. 30. v. 4.

His commoditatibus illi, qui sine prole sunt, destituuntur. Propterea in scripturis tot lamentationes sanctorum hac ipsa in re

occurrunt. Abraham queritur: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vaeam sine liberis, Gen. 15. v. 2. Rachel cum marito Jacobo expostulat: Da mihi liberos, alioquin moriar, Gen. 30. v. 1. Hanna largiter flevit, cum Deus uterum ejus conclusisset, 1. Sam. 1. v. 10. De foemina Sunamitide ait Gehazi: Filium non habet, 2. Reg. 4. v. 14. *vid. in Ruth. 4. 14.*

Hoc totum Dei opus est. Ille potest steriles concludere ne pariant: ut Sara conqueritur, Gen. 16. v. 2, sed & recludere eadem potest: & sterilem facere matrem filiorum latentem, Psal. 113. v. ult.

Quod si igitur fructu ventris beat, grato id animo agnoscendum, & opera sedulo danda est, ut soboles in disciplina & timore Domini educatur, Eph. 6. v. 4. Quod si verò benedictionem suam retrahit, non iræ signum id est, sed cogitent secum pii conjuges, quod hæc Dei voluntas sit, cui æquo se animo subijcere teneantur. Quanto gaudio tripudiavit Eva, cum Cainum peperisset? Et ecce parricida erat, Gen. 4. v. 19. In quantum animi perturbationem conceperunt Cham Noah, Ismaël Abrahamum, Ruben & Dina Jacobum, Hophni & Pinehas Eli sacerdotem, Absolon Davidem, Rehabeam Salomonem? nonne optassent, se sine prole fuisse? Utile namque est mori, sine filiis, quàm relinquere filios impios, Sir. 16. v. 4.

II *Tanquam graciosus visitator.* Hinc Zacharias: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit redemptionem plebi suæ.

Judei diu sub jugo Romano fuerant, proprio Rege destituti. Nec propheta ullus amplius inter illos surgebat, ut non immerito quererentur: Signa nostra non vidimus, non est amplius Propheta, Psal.

74. c. 9. Cum igitur quilibet spem decollasse putaret; ecce Deus cum auxilio suo ingruit, visitans populum suum, & ita implet, quod dudum promiserat per Prophetas de mittendo Messia. Rectè enim de eo dicitur: quod differtur, non aufertur. Et licet auxilium suum aliquamdiu retardet, tandem tamen inopinato ingruit, ut homines annuncient opus ejus, Psalm. 64. vers. 10.

Adhuc hodiè fideles suos non relinquitorphanos, Joh. 14. v. 18. sed ad eos veniens, mansurus cum iisdem usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult.

1. *Tanquam medicus ad aegrotos.* Est enim magnus ille sanator, Exod. 15. v. 26. & magister salvationum, Esa. 63. v. 2.

Cum Eliseus Propheta aegrotaret infirmitate, descendit ad eum Joas Rex Israel. Hoc magni æstimandum venit.

Sed majoris putandum est, quod ipse Deus nos invisit, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15.

Nos omnes animâ laboramus, ita ut à planta pedis, usque ad verticem non integrum quiddam in nobis, Esa. 1. v. 6. hoc à Protoplastis nostris hæreditariò accepimus, idè non melius nobis consulere possumus, quàm si ad alterum Adamum nos convertamus, qui reparavit, quod prior Adam perdidit, Rom. 5. v. 18. ideo omnes laborantes & oneratos ad se vocat, ad reficiendum eos, Matth. 11. v. 28. Hoc & præstat in sancto verbo suo, & Sacramentis. Hinc David: Nisi quod lex tua gaudium meum est, Psalm. 119. v. 92. Sed perfectè id faciet in vita æterna, ubi exultationem nobis infundet, Tob. 3. v. 22. & omnem lacrymam absterget ab oculis nostris, Apoc. 7. v. 17.

2. *Tanquam liberator ad captivos.* Israëlita in Ægypto duriter affligebantur, cum verò illi clamarent ad Deum propter duritiam suam. Deus ipsos exaudiebat, mittens Moysen, qui fratres suos invisit, & redemit eos, Exod. 3. v. 10.

Nos similiter sub potestate tenebrarum tenebamur, Col. 1. v. 13. in laqueis Satanæ, à quo captivi tenebamur ad ejus voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26. Verùm Moyses nos juvare non poterat, Deut. 27. v. 26. Ideo Deus aliam redemptionem misit, & per Christum funes concidit, Psalm. 129. v. 4. & sceptrum exactoris contrivit, Esa. 9. v. 4. & ita in libertatem asseruit.

Die novissimo redemptio hæc plenè consummabitur, ubi nos Dominus salvos faciet, in regnum suum cœleste, 2. Tim. 4. v. 18. Esa. 35. v. 10.

3. *Tanquam frater ad consanguineos.* Cum Palæstini adversus Israëlitas expeditionem suscepissent, immanis Gigas, nomine Goliath surrexit, qui insultavit Israëlitis: huic nemo se opponere ausus est, donec David advenit, qui eum ferè inermis prostravit, & proprio quasi gladio jugulavit, 1. Sam. 17. v. 4. seqq.

Nos similiter potentem adversarium diabolum habuimus, qui & ipse gigas, Esa. 49. v. 24. nec non fortis armatus dicitur, Luc. 11. v. 29. Job. 41. v. 17. Verùm Christus nos fratres suos invisit, & liberavit, qui aliàs per totam vitam timore mortis obnoxii fuisset servituti, Hebr. 2. v. 15.

Sicut igitur mulieres, de universis urbibus Israël egressæ sunt, cantantes chorosq; ducentes in occursum Davidis, atq; dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia, 1. Sam. 18. v. 6. Ita & nos gratâ mente acci-

piamus; quod Christus infernalem Goliath cum toto suo exercitu profligaverit, Psal. 118. v. 15.

Qui verò in peccatis pergit, & hanc gratiæ visitationem agnoscere non vult, hunc Deus in iracundia sua visitabit, ut hostis hostem, donec eum disperdat. Tam citò namq; irasci potest, quàm misereri, Ecel. 5. v. 7.

Exemplo sunt Sodomitæ, quos ita in ira sua visitavit, Gen. 19. v. 24. Ideo nostrum est, cavere, ne Dominum ad iram provocemus, ejusque vindictam nobis acceleremus. Excipiamus eundem potius cum lætitiâ, quando venit nos visitaturus; semitæ enim ejus stillant pinguedinem, Psal. 65. 12. ubicunq; enim divertit, benedictionem post se relinquit, Joel. 2. v. 14.

III. *Tanquam fidelium propugnator.* Exiit enim nobis cornu salutis, in domo David, pueri sui. Sicut locutus est, per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus: Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Hoc nobis valdè salutare est in hac miseriarum valle. Quid enim nobis prodesset, quod Christus nos redemerit, si continuo periculum esset, ne periculum incurreremus, de quo Christus nos redemit? Ideò Zacharias hic nobis ostendit *cornu salutis*, quod Deus bono nostro erexit, ut ejus per fugio utamur, sicut Adonia à Salomone ob seditionem trucidandus, tenuit cornu altaris, 1. Reg. 1. v. 51.

Vocabulum *cornu* in scripturis significat *externam potentiam & robur*. Metaphora à bestiis desumpta est, quæ cornibus suis confidunt, iisque se defendunt. Unde, quando Deus dicit: *Cornua impiorum con-*

fringam, B. Lutherus Germ. id h. m. expressit: *Ich will alle Gewalt der Gottlosen zerbrechen* / Psal. 75. v. 11.

Quando igitur bestia coccinea, quæ septem capita & decem cornua habet, Apoc. 17. v. 7. omnes nervos intendit, ut nos ex propugnaculo nostro deturbet, & sibi subjiciat: omnem metum abjicere, & in *cornu hoc salutis* confidere debemus, dicentes: Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. vers. 31.

*Diabolus* nonnunquam etiam *cornua* sua ostendat: *cornua voluptatum*, *cornua superbia*, & *cornua potentie*, quibus carnales confidunt, non perpendentes, quid Propheta dicat, Jerem. 17. v. 5.

Verum nostrum est cautè ambulare, & ex adverso unice cornu salutis respicere, quod Deus nobis erexit in domo David, pueri sui, h. e. in ecclesiâ ubi continue penitentia & remissio peccatorum prædicatur, Luc. 24. v. 47. & si prædicationem hanc fide susceperimus, non est, ut Diabolum metuamus. Ubi enim remissio peccatorum est, ibi vita & salus, Psal. 32. v. 1.

Equidem multi hodie inveniuntur, qui *cornibus suis ardeant*, ut non immeritò piis querendum: Impellendo impulsus sum, ut caderem; & Dominus adjuvat me, Psalm. 118. v. 13. Utique adjuvat, est enim expectatio Israël, Salvator noster in tempore tribulationis, Jerem. 14. v. 18. Judich. 9. v. 5.

In hoc proinde *cornu salutis & virtutis* confidamus, ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16. Nulla enim alia salus est, Act. 4. 12. Ipsi sit laus & gloria in secula seculorum,

Amen.